

Orden EDU/255/2020, de 4 de marzo, (BOCyL de 6 de marzo)

CUERPO:	0590
ESPECIALIDAD:	003
PRUEBA:	PRÁCTICO
TURNO:	1

1. TEXTO EN PROSA PARA TRADUCIR SIN DICCIONARIO

M. T. Ciceronis *Ad Familiares epistulae Liber XIV, 1* (diciembre 57 a.C.). L. C. Purser, Ed.

TULLIUS TERENTIAE SUAE, TULLIOLAE SUAE, CICERONI SUO SALUTEM DICIT.

Et litteris multorum et sermone omnium perfertur ad me incredibilem tuam virtutem et fortitudinem esse teque nec animi neque corporis laboribus defetigari. Me miserum! Te ista virtute, fide, probitate, humanitate in tantas aerumnas propter me incidisse, Tulliolamque nostram, ex quo patre tantas voluptates capiebat, ex eo tantos percipere luctus! Nam quid ego de Cicerone dicam? Qui cum primum sapere coepit, acerbissimos dolores miseriasque percepit. Quae si, tu ut scribis, “fato facta” putarem, ferrem paulo facilius, sed omnia sunt mea culpa commissa, qui ab iis me amari putabam, qui invidebant, eos non sequebar qui petebant. [2] Quod si nostris consiliis usi essemus neque apud nos, tantum valuisset sermo aut stultorum amicorum aut improborum, beatissimi viveremus. Nunc quoniam sperare nos amici iubent, dabo operam ne mea valetudo tuo labori desit. Res quanta sit intellego quantoque fuerit facilius manere domi quam redire; sed tamen, si omnes tribunos pl. habemus, si Lentulum tam studiosum, quam videtur, si vero etiam Pompeium et Caesarem, non est desperandum. [3] De familia quo modo placuisse scribis amicis faciemus. De loco nunc quidem iam abiit pestilentia, sed quam diu fuit me non attigit. Plancius, homo officiosissimus, me cupit esse secum et adhuc retinet. Ego volebam loco magis deserto esse in Epiro, quo neque Piso veniret nec milites, sed adhuc Plancius me retinet; sperat posse fieri, ut mecum in Italiam decedat. Quem ego diem si videro et si in vestrum complexum venero ac si et vos et me ipsum reciperaro, satis magnum mihi fructum videbor percepisse et vestrae pietatis et meae. [4] Pisonis humanitas, virtus, amor in omnes nos tantus est, ut nihil supra possit. Utinam ea res ei voluptati sit! Gloriam quidem video fore. De Quinto fratre nihil ego te accusavi, sed vos, cum praesertim tam pauci sitis, volui esse quam coniunctissimos.

Orden EDU/255/2020, de 4 de marzo, (BOCyL de 6 de marzo)

2. TEXTO EN PROSA PARA TRADUCIR CON DICCIONARIO (COMENTARIO SINTÁCTICO Y DE REALIA)

T. Livii *Ab Urbe condita liber XXVI, 18-19*. W. Weissenborn, H. J. Müller, Ed.

XVIII. *Inter haec Hispaniae populi nec qui post cladem acceptam defecerant redibant ad Romanos, nec ulli novi deficiebant. [2] Et Romae senatui populoque post receptam Capuam non Italiae iam maior quam Hispaniae cura erat. Et exercitum augeri et imperatorem mitti placebat. [3] Nec tam, quem mitterent, satis constabat, quam illud, ubi duo summi imperatores intra dies triginta cecidissent, qui in locum duorum succederet, extraordinaria cura deligendum esse. [4] Cum alii alium nominarent, postremum eo decursum est, ut proconsuli creando in Hispaniam comitia haberentur; diemque comitiis consules edixerunt. [5] Primo exspectaverant, ut, qui se tanto imperio dignos crederent, nomina profiterentur. Quae ut destituta exspectatio est, redintegratus luctus acceptae cladis desideriumque imperatorum amissorum. [6] Maesta itaque civitas, prope inops consilii, comitorum die tamen in Campum descendit; atque in magistratus versi circumspectant ora principum aliorum alios intuentium fremuntque adeo perditas res desperatumque de re publica esse, ut nemo audeat in Hispaniam imperium accipere, [7] cum subito P. Cornelius, P. Cornelii, qui in Hispania ceciderat, filius, quattuor et viginti ferme annos natus, professus se petere in superiore, unde conspici posset, loco constitit. [8] In quem postquam omnium ora conversa sunt clamore ac favore ominati extemplo sunt felix faustumque imperium. [9] Iussi deinde inire suffragium ad unum omnes non centuriae modo sed etiam homines P. Scipioni imperium esse in Hispania iusserunt. [10] Ceterum post rem actam, ut iam resederat impetus animorum ardorque silentium subito ortum et tacita cogitatio quidnam egissent? Nonne favor plus valuisset quam ratio? [11] Aetatis maxime paenitebat; quidam fortunam etiam domus horrebant nomenque ex funestis duabus familiis in eas provincias, ubi inter sepulcra patris patriumque res gerendae essent, proficiscentis.*

XIX. *Quam ubi ab re tanto impetu acta sollicitudinem curamque hominum animadvertit, advocata contione ita de aetate sua imperioque mandato et bello, quod gerendum esset magno elatoque animo disseruit, [2] ut ardorem eum, qui resederat, excitaret rursus novaretque et impleret homines certioris spei quam quantam fides promissi humani aut ratio ex fiducia rerum subicere solet.*

-
- Comentario sintáctico de los fragmentos subrayados con línea simple.
 - Comentario de *realia* de las palabras o grupos de palabras subrayados con doble línea.

Orden EDU/255/2020, de 4 de marzo, (BOCyL de 6 de marzo)

3. TEXTO EN VERSO PARA TRADUCIR CON DICCIONARIO (COMENTARIO MÉTRICO Y FONÉTICO)

T. Lucreti De Rerum Natura liber III, 965-1003.

Cedit enim rerum novitate extrusa vetustas 965
semper, et ex aliis aliud reparare necesses.

Nec quisquam in baratrum nec Tartara deditur atra.
Materies opus est ut crescant postera saecla,
quae tamen omnia te vita perfuncta sequentur;
nec minus ergo ante haec quam tu cecidere, cadentque. 970
Sic alid ex alio numquam desistet oriri
vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu.

Respice item quam nil ad nos anteacta vetustas
temporis aeterni fuerit, quam nascimur ante.
Hoc igitur speculum nobis natura futuri 975
temporis exponit post mortem denique nostram.
Numquid ibi horrible apparet, num triste videtur
quicquam, non omni somno securius exstat?

Atque ea nimirum quaecumque Acherunte profundo
proditae sunt esse, in vita sunt omnia nobis. 980
Nec miser inpendens magnum timet aëre saxum
Tantalus, ut famast, cassa formidine torpens;
sed magis in vita divom metus urget inanis
mortalis casumque timent quem cuique ferat fors.

Nec Tityon volucres ineunt Acherunte iacentem 985
nec quod sub magno scrutentur pectore quicquam
perpetuam aetatem possunt reperire profecto:
quamlibet immani proiectu corporis exstet,
qui non sola novem dispessis iugera membris
optineat, sed qui terrai totius orbem, 990
non tamen aeternum poterit perferre dolorem
nec praebere cibum proprio de corpore semper.

Sed Tityos nobis hic est, in amore iacentem

Orden EDU/255/2020, de 4 de marzo, (BOCyL de 6 de marzo)

*quem volucres lacerant atque exest anxius angor
aut alia quavis scindunt cuppentine curae.* 995
*Sisyphus in vita quoque nobis ante oculos est,
qui petere a populo fascas saevasque secures
imbibit et semper victus tristisque recedit*

*Nam petere imperium quod inanest nec datur umquam,
atque in eo semper durum sufferre laborem,* 1000
*hoc est adverso nixantem trudere monte
saxum, quod tamen summo iam vertice rusum
volvitur et plani raptim petit aequora campi.*

- Mídanse los versos 970-979.
- Comentario de *fonético* de las palabras o grupos de palabras subrayados.

Orden EDU/255/2020, de 4 de marzo, (BOCyL de 6 de marzo)

CUERPO:	0590
ESPECIALIDAD:	003
PRUEBA:	PRÁCTICO
TURNO:	5

1. TEXTO EN PROSA PARA TRADUCIR SIN DICCIONARIO

M. T. Ciceronis *Ad Familiares epistulae Liber VI, 14* (noviembre 46 a.C.). L. C. Purser, Ed.

XIV. Scr. Raomae a.d. V Kal. Intercal. Prioeres a. V.c 708

CICERO LIGARIO.

Me scito omnem meum laborem, omnem operam, curam, studium, in tua salute consumere; nam cum te semper maxime dilexi, tum fratrum tuorum, quos aequae atque te summa benevolentia sum complexus, singularis pietas amorque fraternus nullum me patitur officii erga te studique munus aut tempus praetermittere. Sed quae faciam fecerimque pro te, ex illorum te litteris quam ex meis malo cognoscere; quid autem sperem aut confidam et exploratum habeam de salute tua, id tibi a me declarari volo. Nam si quisquam est timidus in magnis periculosisque rebus semperque magis adversos rerum exitus metuens quam sperans secundos, is ego sum et, si hoc vitiumst, eo me non carere confiteor; [2] ego idem tamen, cum a. d. V. Kal. intercalaris prioeres rogatu fratrum tuorum venissem mane ad Caesarem atque omnem adeundi et conveniendi illius indignitatem et molestiam pertulissem, cum fratres et propinqui tui iacerent ad pedes et ego essem locutus, quae causa, quae tuum tempus postulabat, non solum ex oratione Caesaris, quae sane mollis et liberalis fuit, sed etiam ex oculis et vultu, ex multis praeterea signis, quae facilius perspicere potui quam scribere, hac opinione discessi ut mihi tua salus dubia non esset. 3 Quam ob rem fac animo magno fortique sis et, si turbidissima sapienter ferebas, tranquilliora laete feras. Ego tamen tuis rebus sic adero, ut difficillimis neque Caesari solum sed etiam amicis eius omnibus, quos mihi amicissimos esse cognovi, pro te, sicut adhuc feci, libentissime supplicabo. Vale.

Orden EDU/255/2020, de 4 de marzo, (BOCyL de 6 de marzo)

2. TEXTO EN PROSA PARA TRADUCIR CON DICCIONARIO (COMENTARIO SINTÁCTICO Y DE REALIA)

T. Livii *Ab Urbe condita liber IV*, 4. J. Bayet, Ed.

[4] "At enim nemo post reges exactos de plebe consul fuit. Quid postea? Nullane res nova institui debet? Et quod nondum est factum —multa enim nondum sunt facta in novo populo—, ea ne si utilia quidem sunt fieri oportet? Pontifices, augures Romulo regnante nulli erant: ab Numa Pompilio creati sunt. Census in civitate et discriptio centuriarum classiumque non erat: ab Ser. Tullio est facta. Consules nunquam fuerant: regibus exactis creati sunt. Dictatoris nec imperium nec nomen fuerat: apud patres esse coepit. Tribuni plebi, aediles, quaestores nulli erant: institutum est ut fierent. Decemuiros legibus scribendis intra decem hos annos et creavimus et e re publica sustulimus. Quis dubitat quin in aeternum Urbe condita, in immensum crescente nova imperia, sacerdotia, iura gentium hominumque instituantur? [5] Hoc ipsum, ne conubium patribus cum plebe esset, non decemviri tulerunt paucis his annis pessimo[exemplo] publico, cum summa iniuria plebis? An esse ulla maior aut insignitior contumelia potest quam partem civitatis velut contaminatam indignam conubio haberi? Quid est aliud quam exilium intra eadem moenia, quam relegationem pati? Ne adfinitatibus, ne propinquitatibus immisceamur cavent, ne societur sanguis. Quid? Hoc si polluit nobilitatem istam vestram, quam plerique oriundi ex Albanis et Sabinis non genere nec sanguine sed per cooptationem in patres habetis, aut ab regibus lecti aut post reges exactos iussu populi, sinceram servare privatis consiliis non poteratis, nec ducendo ex plebe neque vestras filias sororesque ecnubere sinendo e patribus? Nemo plebeius patriciae virgini vim adferret; patriciorum ista libido est; nemo invitum pactionem nuptialem quemquam facere coegisset. Verum enimvero lege id prohiberi et conubium tolli patrum ac plebis, id demum contumeliosum plebi est. Cur enim non fertis ne sit conubium divitibus ac pauperibus? Quod privatorum consiliorum ubique semper fuit, ut in quam cuique feminae convenisset domum nuberet, ex qua pactus esset vir domo, in matrimonium duceret, id vos sub legis superbissimae vincula conicitis, qua dirimatis societatem civilem duasque ex una civitate faciatis. [...]"

-
- Comentario sintáctico de los fragmentos subrayados con línea simple.
 - Comentario de *realia* de las palabras o grupos de palabras subrayados con doble línea.

Orden EDU/255/2020, de 4 de marzo, (BOCyL de 6 de marzo)

3. TEXTO EN VERSO PARA TRADUCIR CON DICCIONARIO (COMENTARIO MÉTRICO Y FONÉTICO)

T. Lucreti *De Rerum Natura liber I*, 921-950. E. Valentí, Ed.

*Nunc age quod superest cognosce et clarius audi.
Nec me animi fallit quam sint obscura; sed acri
percussit thyrsos laudis spes magna meum cor
et simul incussit suavem mi in pectus amorem
Musarum, quo nunc instinctus menti vigenti 925
avia Pieridum peragro loca nullius ante
trita solo. Iuvat integros accedere fontis
atque haurire, iuvatque novos decerpere flores
insignemque meo capiti petere inde coronam
unde prius nulli velarint tempora Musai; 930
primum quod magnis doceo de rebus et artis
religionum animum nodis exsolvere pergo,
deinde quod obscura de re tam lucida pango
carmina, musaeo contingens cuncta lepore.
Id quoque enim non ab nulla ratione videtur; 935
Sed veluti pueris absinthia taetra medentes
cum dare conantur, prius oras pocula circum
contingunt mellis dulci flavoque liquore,
ut puerorum aetas improvida ludificetur
labrorum tenuis, interea perpotet amarum 940
absinthii laticem deceptaque non capiatur,
sed potius tali pacto recreata valescat,
sic ego nunc, quoniam haec ratio plerumque videtur
tristior esse quibus non est tractata, retroque
volgus abhorret ab hac, volui tibi suaviloquenti 945
carmine Pierio rationem exponere nostram
et quasi musaeo dulci contingere melle,
si tibi forte animum tali ratione tenere
versibus in nostris possem, dum perspicis omnem
naturam rerum qua constet compta figura. 950*

*Sed quoniam docui solidissima materiai
Corpora perpetuo volitare invicta per aevom,
Nunc age, summai quaedam sit finis eorum
Necne sit, evolvamus; item quod inane repertumst*

Orden EDU/255/2020, de 4 de marzo, (BOCyL de 6 de marzo)

Seu locus ac spatium res in quo quaeque gerantur, 955
Pervideamus utrum finitum funditus omne
Constet an inensum pateat vasteque profundum.

- Comentario fonético-morfológico de las palabras subrayadas.
- Mídanse los diez primeros versos.